

eos severius canonicis pœnis et aliis eorum arbitrio animadvertant.

« § 4. Prohibentes omnes et singulos libros, opera et tractatus hujusmodi judicariæ astrologiæ, geomantiæ, hydromantiæ, pyromantiæ, oniromantiæ, chiromantiæ, necromantiæ, artis magicæ, aut in quibus sortilegia, veneficia, auguria, auspicia, execrabiles incantationes ac superstitiones continentur, ac ut supra in memorato indice interdictos sub censuris et pœnis in eo contentis a quibuscunque Christi fidelibus legi aut quomodolibet retineri, sed illos episcopis et hujusmodi locorum, et inquisitoribus prædictis præsentari et consignari debere; nihilominus eadem auctoritate statutum et mandamus, ut contra scienter legentes aut retinentes libros et scripta hujusmodi, seu in quibus talia continentur, similiter iidem inquisitores libere et licite procedant, ac procedere et pœnis condignis punire et coercere possint.

« § 5. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrariis quibuscunque.

« § 6. Ut autem præsentibus nostræ litteræ ad communem omnium notitiam facilius deducantur, jubemus illas in valvis basilicarum S. Jo. Lateranen. et Principis apostolorum de Urbe ac in acie campi Floræ affigi seu appendi, eisque detractis ipsarum exempla etiam impressa eisdem in locis affixa relinqui.

« § 7. Et insuper universis et singulis venerabilibus fratribus nostris patriarchis, primatibus, archiepiscopis, episcopis, locorum ordinariis et prælatis, nec non inquisitoribus hæreticæ pravitatis ubilibet constitutis, per hæc committimus et in virtute sanctæ obedientiæ districte præcipiendo mandamus, ut per se vel alium, seu alios eisdem præsentibus litteras, postquam eas receperint, seu earum notitiam habuerint in suis et singulis parochialibus ecclesiis, dum in eis populi multitudo ad divina convenierit, deinde vero semel in anno, et quoties eis expedire videbitur, vulgari sermone publicent aut publicari faciant.

« § 8. Quia vero difficile foret præsentibus litteras ad singula quæque loca, in quibus de eis fides facienda erit, deferri, volumus ut earum transumptis, etiam impressis, manu notarii publici subscriptis ac parvo sigillo sanctæ Romanæ et universalis inquisitionis aut alicujus prælati, vel curiæ ecclesiasticæ munitis, eadem prorsus fides in judicio et extra ubique locorum adhibeatur, quæ eisdem originalibus litteris adhiberetur, si essent exhibitæ vel ostensæ.

« Nulli ergo, etc.

« Dat. Romæ apud S. Petrum anno Incarnationis Dominicæ 1566, Nonis Jan., Pontificatus nostri anno 1. »

(37. Sortes consultoriæ sunt illæ, quibus a Deo postulat occultæ veritatis manifestatio aut ancipitis consilii alicujus directio: et hæc sortes non sunt illicitæ nec prohibi-

tæ, si Dei jussu aut instinctu fiant, de quibus *Proverb. xvi, 33*, expresse dicitur: *Sortes mittuntur in sinum, sed a Domino temperantur*. Tales enim sortes consultivæ sæpe factæ leguntur in sacris litteris, ut in investigatione furis Achan (*Josue vii*), in electione Matthiæ (*Act. ii*), cujus electionem signo visibili a Deo demonstratam fuisse testatur S. Dionysius (84), lib. *De cælesti hierarch.*, cap. 5, n. 2.

(38. Sortes divisoriæ sunt illæ, quæ adhibentur ad dividendas res, seu hæreditates inter plures, vel ad dirimendas lites et controversias, et hujusmodi; et istæ sortes per se malæ et illicitæ non sunt, sed sæpe sunt bonæ ac utiles, juxta illud *Proverb. xviii, 18*: *Contradictiones comprimunt sors, et inter potentes quoque dividuntur*. Unde de jure communi in judiciis et sententiis proferendis locus datur sorti, l. *Sed cum ambo 14, ff. De judiciis*; sicque si plures, quibus optio alicujus rei fuit relicta, discordant in eligendo, sorte dirimitur lis. L. *Si duobus 3, cod. Communia, De legatis*; et concordant l. *Judæi 8, cod. De Judæis, l. Quoties 4, cod. De privileg. scholar., l. Meminimus 2, cod. Quando et quibus pars, l. Denuntiasset 17, § 6, ff. Ad leg. Jul. de adult., l. Si quæ sunt 1, ff. Familiæ erescundæ, leg. Generaliter 24, § 17, ff. De fideicommiss. libert., leg. Ait prætor 10, § 1, ff. Quæ in fraudem creditor. Novella 162, c. 3, et § Optionis 23, instit. De legatis.*

(39. Dictarum autem sortium usus est omnino prohibitus in electionibus ad prælaturas et officia ecclesiastica, seu electio per sortes ad prælaturas et officia ecclesiastica est illicita et absolute prohibita. *Communis*, textu expresso in c. *Ecclesia vestra 2, De sortilegiis*, ibi: « Sortis usum in electionibus perpetua prohibitione damnantes; » et concordat c. *Quia propter 42, De electione*, ubi omnis electio aliter facta, quam per formam scrutini, compromissi vel inspirationis, declaratur nulla.

(40. Sortilegi, seu divinatores et magi de jure canonico, si clerici sint, ab officio et beneficio deponi, et in arctum monasterium (hodie in perpetuos carceres) detrudi debent. C. *Non oportet 4, c. Si quis episcopus 5, et c. Aliquantum 6, caus. 26, q. 5*. Et insuper magi degradari et curiæ sæculari tradi debent. C. *Admoneant 15, caus. 26, q. 7*, et ad id speciales Pontificiæ constitutiones habentur, et signanter const. Innocent. VIII, incip. *Summis*; Leonis X, incip. *Honestis*; Greg. XIII, incip. *Omnipotentis*, et Sixti V, incip. *Cæli et terræ*.

(41. Sortilegi vero, seu divinatores et magi laici de jure canonico, si servi, seu viles existunt, verberibus et cruciatibus castigandi sunt; liberi autem ac honestiores in perpetuum carcerem sunt redigendi. C. *Contra idolorum cultores 10, caus. 26, q. 5*, imo si contumaces fuerint, debent etiam excommunicari. C. *Admonet 15, caus. 26, q. 6*. Et ratione magicæ tradi possunt curiæ

sæculari severius juxta suas leges puniendi per cit. Pontific. constituit. Innocent. VIII, Leonis X, Gregor. XIII et Sixti V.

(42. Sortilegi, seu divinatores et magi, tam clerici quam laici, sunt infames, ideoque a testimonio et accusatione repelluntur. C. *Constituimus 9, caus. 3, q. 5*. Et si exercent sortilegia, seu divinationes ac magias, quæ hæresim sapiant, ut invocando dæmonem per preces et sacrificia, eique tribuendo, quæ soli Deo competunt, ex constituit. 13 Joan. XXII, incip. *Supra*, sunt puniendi iisdem pœnis, quibus puniendos esse hæreticos diximus sub verb. *Hæreticus*. Vide ibi, et citatas Pontificias constitutiones.

(43. Sortilegi, seu divinatores et magi de jure civili puniuntur pœna publicationis omnium bonorum et ultimi supplicii, etiam aliquando per ignem inferendi. Leg. *Nullus 3, et l. Nemo 5, De maleficiis*. Ex constitutionibus autem Caroli V, qui per magiam aliis damna inferunt, igne cremari; qui autem sine damno magiam exercent, pœna arbitraria, etiam ultimi supplicii pro diversitate circumstantiarum puniri jubeantur. Engel, lib. vi *Decret.*, tit. 21; Reiffenstuel, *ibidem*, n. 16. Vide infra, n. 78.

(44. Judex ecclesiasticus punire potest sortilegos, seu divinatores et magos etiam laicos. Abbas, in cit. cap. *In tabulis 1, n. 3, De sortilegiis*; Pirrhing, lib. v *Decretal.*, tit. 21, n. 19; Reiffenstuel, *ibidem*, n. 19; Julius Clarus, § *Hæresis*, n. 26, et ipso teste, communis aliorum, arg. can. *Contra idolorum cultores 10, caus. 26, q. 5*, et expresse iudicibus ecclesiasticis hanc facultatem etiam in laicos tribuerunt Adrianus VI, constituit. 2, incip. *Dudum*, et Sixtus V, constituit. 17, incip. *Cæli et terræ*, statuentes tales sortilegos seu divinatores et magos, aliosque similes etiam laicos posse puniri ab inquisitoribus. Vide infra, n. 76.

(45. Vana observantia est superstitio, qua adhibentur media inutilia et improporcionata ad aliquem effectum obtinendum vel impediendum, ad quem nec a Deo nec a natura ullam vim habent, nec sunt ab Ecclesia ad id ordinata. Est in re Communis.

(46. Vana observantia differt a divinatione per hoc, quod divinatio primario et per se ordinatur ad speculativam alicujus occulti seu futuri cognitionem; vana observantia autem totaliter ad cognitionem practicam aliquid agendo vel omittendo. Sic doctores communiter.

(47. Species præcipuæ vanæ observantiæ sunt tres, scilicet ars notoria, observantia sanitatum et observantia eventuum; ad has nempe reducuntur omnes aliæ species vanæ observantiæ, sive fiant cum expressa, sive cum tacita aut implicita dæmonis invocatione. Sic in re doctores communiter.

(48. Ars notoria est superstitio, qua per quasdam ignotorum verborum preces, per certa aliqua jejunia, per certa aliqua signa et alia hujusmodi prorsus inutilia me-

(85) E. R. Quæ de anabaptistis, secundum auctorem nostrum testantur passim doctores, tacent

dia, exspectatur scientiæ infusio seu acquisitio absque aliquo studio; hæc arte utuntur potissimum anabaptistæ, qui profanæ cœnæ suæ sumpto poculo, statim in instanti aliquando scientiarum et scripturarum, antea penitus ignoratarum et scripturarum, consequuntur, ipsas memoriter recitant, sacras etiam Scripturas se intelligere existimantes, de ipsis tanquam periti discurrunt, dæmone semper verba suggerente, vel per os ipsorum loquente, ipsosque sic demontante. Unde sæpe evenit quod catholici per exorcismos scientiam illam cum magna eorum confusione ipsis adimant; et si, abjecta sua secta, ad veram catholicam fidem convertantur, statim ad pristinam ignorantiam redeunt, ut de multiplici experientia testantur passim doctores (85).

(49. *Observantia sanitatum* est superstitio, qua media inania et inutilia adhibentur ad sanitatem hominum aut brutorum conservandam vel recuperandam. Sic in re Communis. (50. Sic hujus superstitutionis rei evadunt, qui certa ignota nomina, certa determinata verba, certos characteres, certas scripturas, certa involucra, certa signa, certum numerum crucium et orationum, et alia hujusmodi inutilia adhibent et applicant ad sanandas infirmitates, ad curanda vulnera, ad mitigandos dolores, ad sistendum sanguinem, ad se vel alios reddendos impenetrabiles seu invulnerabiles telis, ensibus, glomerum ictibus, ut sint immunes ab hostium læsionibus, et ab omni infortunio, et qualibet infirmitate liberi, quia supradicta omnia et similia, nec a Deo, nec a natura, nec ab Ecclesia sunt ad id ordinata, et consequenter si id interdum eveniat, non nisi a dæmone per tacitam ejus invocationem evenire censetur. Imo hujus superstitutionis rei sunt etiam illi, qui res sacras gestant, v. gr. reliquias, cruces benedictas, agnos Dei, Evangelium S. Joannis, et hujusmodi, seu piæ preces, aut sacræ Scripturæ versus recitant, si ab illis sanitatem aut alium hujusmodi effectum infallibiliter expectent, quia, cum præter sacramenta et sacramentalia nihil sit ex sacris rebus et verbis, quod effectum habeat infallibiliter, qui illum sic expectant, non nisi a dæmone per tacitam ejus invocationem expectare censendi sunt.

(51. Aliud autem esset, si per verba sacra, per reliquias, per cruces benedictas, per agnos Dei, et hujusmodi supradictos effectus cum fiducia et non cum infallibilitate exposcerent, tunc enim esset res pia et non superstitiosa; et de facto leguntur in libris asceticis exempla plurima illorum, qui a similibus verbis et rebus sacris fuerunt præservati a lethalibus vulneribus, liberati a doloribus et sanati ab infirmitatibus. Unde si quis ex talibus exemplis animatus per similia verba sacra, per reliquias, per agnos Dei, et hujusmodi, pia invocatione sanctorum speret a Deo consimiles effectus obtinere, dummodo non credat in-

historici, veluti Bossuetius, Dupinius, Fleurius, imo inter fanaticos recensent anabaptistas.

(84) Sive auctor Operum S. Dionysio Areopagitiæ suppositorum.

fallibiliter a Deo sibi deberi ac sic concedi, non est peccati damnandus, ut notant passim doctores.

(52. Hic juvat adducere quod refert Felix Potestas tom. II, part. II, n. 257, quod nempe Panormi est dedicata ecclesia septem præcipuis archangelis, qui astant ante Deum beato Amadeo revelatis, quorum nomina ibi, et in cathedrali in sacello archiepiscopi Hajedi sculpta sunt: « Michael victoriosus, Gabriel nuntius, Raphael medicus, Uriel fortis socius, Jehudiel remunerator, Barachiel adjutor, Soalciel orator. » Cæterum sola priora tria sunt de fide, quia habentur in sacra Scriptura; quartum, nempe Uriel, non est de fide, sed magnæ auctoritatis, quia habetur in lib. IV Esdræ c. IV, 1, ibi: *Et respondit ad me angelus, qui missus est ad me, cui nomen Uriel.* Qui liber, licet sit extra canonicos, fuit tamen ipsis libris sacris et canonicis jussu Sixti V annexus, ut de facto reperitur impressus in fine sacre Bibliæ vulgatæ editionis Sixti V jussu recognitæ et Clementis VIII auctoritate editæ (86).

(53. *Observantia eventuum* est superstitio, qua quis ex cujusdam rei impertinentis cursu, bona vel mala sibi aut aliis eventura ominatur, et inde actiones suas dirigit, observans facta, verba, loca, dies, tempora, occursum hominis, cadaveris, animalis, garritum aviculæ, et hujusmodi. Ita in re Communis.

(54. Unde hujus superstitionis rei evadunt, qui in ludo mutant locum aut chartas ad evitandam malam ludi fortunam; qui ferunt lignum particulare ad luerandum in ludo; qui nolunt adire convivium, in quo cum suo interventu sint tredecim, eo quod unus certo credatur brevi moriturus, uti e tredecim convivis in ultima cœna unus mortuus est, Christus scilicet, aut Judas; qui in nocte S. Joannis orant, ut in somno appareant illi quibus nubere debeant; qui credunt se non ducturos uxorem eo anno, quo coram se ignis fuit coopertus cineribus; qui scopas invertunt, ut mulier de qua suspicantur, quod sit saga, si talis sit, abire non possit, nisi gressu averso seu cancrino; aut certam schedam affigunt januæ, ut ad eam cogatur venire fur; qui, cum gallina instar galli cantat, credunt malum imminere; qui credunt prænnuntiari alicui mortem vel infortunium, dum avis mœstum canit, corvus crocitat, lepus occurrit; qui aliquid infaustum metuunt, si videant duos sacerdotes simul elevantes hostiam in missa; qui credunt gallinas fore liberas ab accipitre, si primum suum ovum detur pauperi; qui conservant ova die Parasceves a gallinis

(86) Cur oratio Manasse, ac libri tertius ac quartus Esdræ nomine prænotati ad calcem sacrorum Bibliorum Vulgatæ editionis Clementis VIII, auctoritate publicata recusati fuerint, exponitur in admonitione iisdem præmissa his verbis: « Oratio Manasse, nec non libri duo, qui sub libri tertii et quarti Esdræ nomine circumferuntur, hoc in loco, extra scilicet seriem canonicorum librorum, quos sancta Tridentina synodus suscepit, et pro canonicis

exclusa, ad extinguendum incendium, et sic de aliis fere infinitis similibus superstitionibus, quæ ad longum adducuntur a doctissimo Patre Gobat, tom. III, part. IV, *De superstitionibus*, per tot., et ibi brevitas gratia videndæ relinquuntur: unde sufficiat hic tradere ex communi doctorum quasdam regulas generales, ex quibus facile cognosci potest, quænam sint veræ superstitiones, et quandonam sint mortales vel veniales.

(55. Regula prima: « Quoties tribuitur seu creditur inesse vis aliqua rebus, verbis, factis, signis, figuris, characteribus, et hujusmodi ad aliquem effectum, ad quem talem vim, nec a natura sua, nec a Dei vel Ecclesiæ institutione habent, semper est superstitio. »

(56. Regula secunda: « Quoties preces, characteres, signa, aut ignota sunt, aut vana, vel frivola, vel falsa; aut si nota, bona et sancta sint, sunt tamen eis admistæ circumstantiæ certi modi, numeri, temporis, loci, personæ et aliæ vanæ, inutiles, et omnino impertinentes ad talem effectum, qui intenditur, semper est superstitio. »

(57. Regula tertia: « Quoties ex rebus, verbis, factis, scriptis, signis etiam de se bonis et sanctis promittitur, et creditur infallibiliter obtinendus effectus intentus, et aliunde neque ex Dei, neque ex Ecclesiæ institutione inest ipsis dicta virtus infallibiliter præstandi talem effectum, semper est superstitio. »

(58. Regula quarta: « Quoties res sacræ adhibentur ad effectus vanos et inutiles, aut signa, seu res vanæ vel inutiles adhibentur ad effectum qualemcumque obtinendum, est semper superstitio. » Deus enim non immiscet se rebus vanis et ridiculis, adeoque effectus non potest expectari, nisi a dæmone.

(59. Regula quinta: « Quando prudenter dubitatur an effectus productus proveniat a naturali occulta vi rei, vel an a vi superstitionis et diabolice? potius judicandum est esse a vi naturali occulta rei, adeoque non esse superstitionem; » miræ enim sunt naturalium causarum virtutes, præsertim herbarum, lapidum et hujusmodi, etiam viris doctissimis incognitæ, adeoque licet nobis sit virtus illa ignota vel dubia, non est a nobis statim censenda superstitionis, donec resciat non esse a virtute naturali occulta, cum in tali dubio simus in possessione juris ad utendum hujusmodi rebus; consulunt tamen doctores cuilibet, qui ejusmodi re dubia uti vellet ad aliquem effectum, ut expresse protestetur, si ulla vis

suscipiendos decrevit, sepositi sunt, ne prorsus interirent, quippe qui a nonnullis sanctis Patribus interdem citantur, et in aliquibus Bibliis Latinis tam manuscriptis quam impressis reperiantur. Vide Calmeti Dissertationes in lib. III et IV Esdræ. Verba porro relata ab auctore, ex quibus angelus Uriel nominatur ex vers. 4, cap. IV, lib. IV, sumpta sunt, qui liber et anilibus fabulis, et erroribus scatet. Vid. Add. Casin., v. SCRIPTURA SACRA.

diabolica inibi insit, nolle se effectum consequi. * Præterea dubium deponendum antea est. Neque enim nobis fas est uti medio, de quo, utrum licitum sit, an non, dubitamus *.

(60. Regula sexta: « Quando certo probabiliter constat rem applicatam ad effectum aliquem non habere ullam vim naturalem ad illum causandum, dubitatur tamen an habeat vim a Deo vel a dæmone, censenda est superstitio saltem ex pacto implicito cum dæmone. » Nec in tali casu, ubi constat certo de inefficacia rei seu mediorum, prodest protestatio, cum sit contraria factum.

(61. Regula septima: « Quando ab aliquo homine bonæ famæ magnique ingenii, aliquid mirum efficitur, potius censi debet fieri naturaliter vel supernaturaliter, quam superstitione et diabolice; » nemo enim præsumendus est malus, nisi probetur talis. Can. *In cunctis* 52, caus. 11, q. 3, cap. *Mandata* 6, et cap. *Dudum* 17, *De præsumptionibus*. Tum quia quandoque etiam maxima sanctitas operantis, vel alia urgentissima indicia suadent aliquid fieri supernaturaliter, et per miraculum, Deo per sanctos suos operante.

(62. Regula octava: « Pro vere superstitionis, aut saltem valde suspectis mediis ad aliquid obtinendum vel impediendum, habenda sunt omnia illa, quibus tanquam necessariæ adhibendæ sunt, seu admiscantur circumstantiæ vanæ, ineptæ et ridiculæ. »

(63. Regula nona: « Omnis superstitio, quæ fit cum pacto expresso cum dæmone, seu cum expressa invocatione ejusdem, aut voce, aut signo, aut ipso facto, adhibendo scilicet signa, quæ quis scit a dæmone esse instituta, ac ipsum per illa operari, sive deinde secum ipso, sive cum alio conventa sint, est semper peccatum. »

(64. Regula decima: « Superstitio, quæ fit cum pacto implicito tantum cum dæmone, seu cum implicita tantum et tacita invocatione ejusdem, quamvis ex genere suo sit peccatum mortale, ex simplicitate tamen vel ignorantia culpabili, sed tamen levi et non crassa, seu affectata et simplici curiositate, ex levitate actus, ex defectu integræ credulitatis seu certæ fidei, frequentissime redditur solum veniale. » Si enim fiant actiones de se superstitionis ex simplicitate vel ignorantia etiam vincibili, non crassa, nec affectata, sunt quidem ex defectu requisitionis debitæ, culpabiles venialiter, at non mortaliter. Item non mortaliter peccat, qui in re levi, ut signo vel medio superstitionis habito ex sola curiositate experiendi causa, verbi gratia semel, vel iterum faciendo annulum moveri super filum, aut alibi ad latera vasis. Item non peccat mortaliter, qui utitur similibus signis, rebus, seu verbis aut characteribus solum ex levitate joci vel risus causa, nullo expectato eventu, qualia multa jocosa fieri solent in certis vigiliis; tunc enim non est vera superstitio, quia, licet supradicta instituta sint a dæmone, si tamen

joco et non serio expectando eventum, usurpentur, irrisio potius est quam invocatio dæmonis; item non peccat mortaliter, qui absque integra credulitate seu certa fide, et vana solum formidine in agendis vel cavendis observat hujusmodi vana signa et alia similia, cum non videatur gravis ordinatio aliquid operari, vel cavere ob metum vanum conceptum ex somniis, ex sternutatione, auris tinnitu, cantu corvi vel noctuæ, occurso vulturis seu leporis, et hujusmodi absque certa fide. * Consulatur Antoine in tractatu *De virtute religionis*, cap. 5, art. 1, quæst. 7, ubi docet 2 mortaliter peccare illos « qui ad aliquid obtinendum media inepta et improporcionata adhibent, etiam joci causa, sed ex quadam curiositate, ut experiantur quid casu accidat, quamvis putent totum esse vanum et futile; nam intentant experiri, an dæmon de facto se illis mediis immisceat: ergo tentant cum dæmone societatem habere, quod mortale est, etsi joco fiat. » *

(65. *Maleficium* (quod a *male* et *facio* dictum est) est superstitio, qua per certa signa et media, opera et potestate dæmonis proximo, vel in se vel in suis nocumentum infertur. Ita in re Communis.

(66. *Maleficium* est duplex, nempe veneficum, et amatorium. *Communis*.

(67. *Maleficium veneficum* est illud, quo per certa hujusmodi signa vel media ope dæmonis hominibus in ipso corpore vel rebus suis nocumentum infertur, et hoc utuntur malefici, ut reddant homines infirmos, proles languidas, pecora morbida, feminas steriles et conjuges impotentes ad inter se coeundum, quod communiter maleficium ligaminis appellatur. Item ad afferendas non semel mortes pueris, et hominibus, et animalibus; item ad causandas tempestates, pluvias immodicas, ad destructionem fructuum et ad alia gravissima hominum damna.

(68. *Maleficium amatorium* est illud, quo per certa hujusmodi signa vel media, ope dæmonis immutatio in affectibus causatur; et hoc utuntur malefici ad excessivos vel impotentes amores carnales excitandos, seu econtra ad capitalia odia, præsertim inter conjuges, causanda, dæmone hominum phantasiam commovente, nihil tamen agente in voluntatem. Dicitur autem maleficium simpliciter amatorium a potiori parte seu principali animæ, videlicet amore et casu frequentius contingente.

(69. Nunquam licet maleficium solvere novo maleficio, nempe applicando novum signum magicum, quo dæmon moveatur ad novum aliquid operandum, ad prius maleficium tollendum. Sic non licet petere vel jubere magum aut sagam, ut maleficium novo maleficio solvat; hoc enim est intrinsece malum, adeoque, etc. *Communis*.

(70. Item graviter peccat, qui petit a mago seu saga, aut ab alio, ut maleficium solvat, si sciat non nisi per aliud maleficium dissolvi posse. *Communis* per rationem mox adducendam.

(71. Item graviter peccat, qui petit seu

jubet dissolutionem maleficii, si dubitet, an solvi possit sine novo maleficio. *Communis*. Et ratio clara est, quia nunquam licet petere, jubere vel quomodolibet alterum inducere ad id, quod ab eo sine peccato fieri non potest, uti est maleficio alio maleficio solvere.

(72. Imo neque id licet permittere, quamvis maleficus sese offerat non rogatus ad maleficio alio maleficio dissolvendum. *Communis*. Sic enim consentiendo esset concurrere ad intrinsece malum; unde Apostolus ad Romanos I, 32, sic habet: *Qui talia agunt, digni sunt morte, non solum qui ea faciunt, sed etiam qui consentiunt facientibus.*

(73. Quando constat quod maleficus potest licito modo, absque novo maleficio prius maleficio dissolvere, licitum est petere, imo jubere, ut solvat, quamvis suspicetur seu credatur id facturum per novum maleficio. *Communis*, contra paucos (87). Et ratio est, quia, cum habeam jus in tali casu petendi quod ab alio recte præstari potest, et est indifferens, imputabitur illius malitiæ, si id cum peccato faciat.

(74. Licitum est ad dissolvendum maleficio adhibere aliquod signum positivum contrarium maleficio ex pacto conditionato diaboli: dummodo illud signum de se sit honestum vel indifferens, verbi gratia, si dæmon sit pactus cum maleficio, ut tandiu duret maleficio, quandiu maleficiatus se cruce non signet, non confiteatur, non communice, non lavet manus, et hujusmodi, licet non tantum se cruce signare, confiteri, communicare, sed etiam manus lavare, et hujusmodi non quidem intentione, eo modo vel signo aliquid efficiendi ope dæmonis in se vel in alio, sed præcisa intentione dissolvendi pactum diabolicum, ac impediendi signum magicum noxium; sicque solvendi maleficio, quod vere licitum est, cum talis intentio sit bona, et medium, ac signum sit licitum. Sic, pluribus congestis, Suarez, tom. I, *De relig.*, lib. II, c. 17, num. 19; Sanchez, lib. II *Moral.*, cap. 41, num. 5; Lessius, *De justit. et jur.*, lib. II, c. 144, dub. 6, num. 45; Martinus Delrius, *Disquisit. magic.*, lib. II, cap. 2, sect. 1, quæst. 2; Laym., lib. IV, tract. 10, cap. 4, n. 9; Castropal., tract. 17, d. 1, p. 11; La Croix, lib. III, part. XI, n. 42, cum Busemb. et aliis ibi citatis; Sporer, *loc. cit.*, sect. 4, n. 41; Tamburini., lib. II, cap. 6, § 2, n. 13, et alii recentiores passim. Unde Tamburinus, *loc. cit.*, n. 17; Sporer, *loc. cit.*, n. 42; La Croix, *loc. cit.*, n. 42, et alii recte docent non peccasse peccato superstitionis quemdam lepidum rusticum qui, cum audisset dæmonem pactum fecisse cum quodam sene avaro, ut nemo suum thesaurum terra defossum invenire et auferre posset, nisi qui supra locum bona pulve se reficeret, vinumque hilariter biberet, ibidem pultem

Nota Romani theologi.

(87) Si constet, maleficio posse licito modo tolli absque novo maleficio: ergo non suspicatur, nec

comedit, vinumque bibit, et thesaurum invenit ac abstulit.

(75. Hinc docet communis opinio, ut testatur praxis universalis, quod vere licitum sit sine novo maleficio tollere signa magica, verb. gr. ligaturas, nodos, volumina capillorum, et alia hujusmodi eo fine, ut diabolus nocere desinat; et hoc tum in contemptum diaboli atque magicæ superstitionis, tum in odium facinoris, quo maleficus ea posuit, veluti tesseram sui pacti cum dæmone: imo non tantum id licitum est, sed et meritorium, ut recte docet Scotus in 4, dist. 32, q. unica, dicens quod ridiculum sit quærere: « An liceat tollere maleficio intentione curandi maleficiatus; non enim, inquit, solum licet, sed est meritorium destruere opera diaboli. »

(76. Vere superstitiosi sunt denuntiandi; ut tamen eorum superstitio pariat onus denuntiationis, duo requirunt: primo, ut adsit expressa vel tacita dæmonis invocatio; secunda, quod sit mortaliter peccaminosa. Lupus, part. III, lib. XV, art. 3, differ. 2, pag. 257; Felix Potestas, t. II, p. II, n. 234.

(77. Præcipua remedia spiritualia adversus maleficia adhibenda decem passim a doctoribus assignari solent: 1° Magna fides et plena fiducia in Deum, ejusque divinam protectionem; 2° oratio, præsertim conjuncta cum jejunio, ut patet ex verbis Christi *Matth. XVII, 20*, ibi: *Hoc autem dæmoniorum genus non ejicitur, nisi per orationem et jejunium*; 3° susceptio baptismi, si quis nondum sit baptizatus; 4° confessio sacramentalis peccatorum, loquendo de baptizatis; 5° sumptio sanctissimi Eucharistiæ sacramenti; 6° devota invocatio sanctissimi nominis Jesu, beatæ Mariæ Virginis, sancti angeli custodis, aliorumque sanctorum; 7° signum sanctæ crucis; 8° reliquiæ sanctorum, agnus Dei, cerei sacri, panis, sal, aliæque res rite ab Ecclesia benedictæ; 9° aqua benedicta; 10° exorcismi ab Ecclesia ad id instituti et approbati.

(78. Pænæ statutæ contra maleficos, divinatores aliosque similes superstitiosos, sunt illæ assignatæ supra, a n. 39 ad 42, contra sortilegos, servata proportione secundum majorem vel minorem gravitatem delicti; et advertendo, quod Deus *Exodi XXII, 8*, sic expresse decrevit: *Maleficos non patieris vivere*, per maleficos intelligens omnes habentes pactum (etiam tacitum) cum dæmone, ut recte notat Suarez, *De religion.*, tom. I, tract. 9, lib. II, cap. 19; Gobat, tom. III, part. IV, *De superstitionibus*, n. 1040, et alii. Et *Deut.* cap. XIII, 10, cum seq. statuit gentes integre delendas esse propter superstitiones expressas, *ibid.*, vers. 10 et 11, inter quas sunt observatores somniorum, augures aliique similes superstitiosi. Item multæ sunt pænæ decretæ contra ipsos in sacris canonibus apud Gratianum, tota causa 26, et in codice Justiniani

credit quis id tolli per aliud maleficio; at si ita suspicatur et credit, peccat ut habetur n. 71.

lib. XIX, tit. *De maleficis, et mathematicis, et cæteris similibus.*

(79. Judex competens maleficorum, divinatorum, sortilegorum aliorumque superstitionis, si rei sunt ecclesiastici aut laici quidem, sed qui superstitioni addiderint hæresim, est solus ecclesiasticus, ut per se clarum est; si autem laici superstitioni hæresim non addiderint, tunc etiam laicus est judex competens, et datur locus præventioni cum crimen maleficii seu superstitionis sit misti fori, ex quo contra ipsum, non tantum in jure canonico, sed etiam in civili statutæ sint pænæ, ut patet in codice toto titulo *De maleficis et mathematicis, et cæteris similibus*; sic Abbas, in cap. 2 *De sortil.*; Gregorius de Valentia, tom. III, disp. 6, q. 3, p. IV; Gobat, *loc. cit.*, num. 1048; Delrius, lib. V *Disquisit. magic.*, et alii passim supra n. 43 et 44.

(80. Confessarii suos pœnitentes reos de aliqua superstitione, divinatione, magia, incantatione, maleficio, et hujusmodi, debent specialiter interrogare de sequentibus: I. Quo fine tali superstitioni se addixerint, v. g. an ratione vehementis passionis, tristitiæ, vindictæ, luxuriæ, avaritiæ aut sanctitatis nomen conciliandi, quæ esset sacrilega hypocrisis. II. De idololatria, an dæmonem loco Dei habuerint, eique obtulerint sacrificia aut preces fuderint. III. De apostasia, an Deo et B. Mariæ Virgini, sanctis vel fidei sacramentis renuntiaverint. IV. De hæresi, an crediderint dæmonem esse Deum, esse adorandum, non esse damnatum, eique adherentes non esse damnandos; seu alios articulos nostræ veræ fidei abnegaverint. V. De blasphemis in Deum, Christi humanitatem, B. Mariam Virginem et sanctos. VI. De sacrilegiis, an

sacra et præsertim Eucharistiam profanaverint, aut iis indigne usi fuerint. VII. De luxuria et nefandissima commistione cum dæmonibus incubis vel succubis, ut solent lamæ et striges. VIII. De damnis proximo illatis in segetibus, animalibus, hominibus, et præsertim infantibus, et sponsis, si nocuerint per maleficia, ligamina, incantationes, et hujusmodi.

(81. Insuper confessarii debent eos monere de infra scriptis suis obligationibus: I. Quod ipsi tenentur pactum expressum, si quod habent cum dæmone, aut commercium penitus statim dissolvere. II. Comburare aut confessario consignare chirographum seu signum, si quod habent. Non est tamen necesse, ut malefici pœnitentes curent sibi a dæmone restitui tale chirographum vel signum, si ipse habeat, quia per veram pœnitentiam sufficienter recedunt a pacto, illudque totaliter dissolvunt. III. Libros suos, schedas, ligaturas aliaque instrumenta superstitionis magicæ artis comburare seu consignare confessario. IV. Omnia damna illata resarcire omni modo possibili juxta regulas generales restitutionis, ex damno dato; ad quod proinde etiam tenetur fiscus (ubi veneficorum bona confiscantur) uti et hæredes, si ad eos bona deveniant. V. Excommunicationem in bulla *Cænæ* incurrisse, si suis superstitionibus formalem hæresim addiderint, ideoque non posse absolvi a confessario non habente facultatem specialem absolvendi ab hæresi. Secus vero, si non fuerint formales hæretici, vel apostatæ, aut idololatræ, juxta dicta supra, n. 9.

(82. Quoad ea quæ concernunt astrologiam judiciariam, vide verb. *ASTROLOGIA*, *ASTROLOGUS per tot.* ubi late de omnibus.

SURRIPIENTES.

(1. Surripientes, asportantes, aut apud se retinentes hostias vel particulas consecratas, curiæ sæculari tradi debent puniendi: *Bened. XIV*, tom. I, constit. 93, incip. *Ab augustissimo*, § 1. (2. Et si ecclesiastici sint, sunt degradandi et curiæ sæculari tradendi. *Idem, ibid.* (3. Etiam pro prima vice; etiam minores xxv annis dummodo vicesimum attigerint. *Idem, ibid.* (4. Rejctis exceptionibus de non consecratione aut de honesta intentione, nisi ab ipsis reis probentur. *Idem, ibid.*, § 4 et 5.

(5. Insuper attendenda est sanctio Clem. XIII, in const. incip. *Gravissimum*, in qua

confirmatis Apostolicis constitutionibus contra surripientes vel asportantes, aut apud se retinentes sacras hostias vel particulas consecratas, editis ab Innocentio XI, anno 1677, IV Idus Martii, Pontificatus sui anno I, et ab Alexandro VIII, anno 1690, XI Kalendas Februarii, Pontificatus sui anno II, et a Benedicto XIV, anno 1743, Nonas Martii, Pontificatus sui anno IV decernitur, ut hujusmodi criminis reis constitutis, sincera delicti confessio facta in primo generali interrogatorio, nil suffragetur ad mitigandam pœnam traditionis brachio sæculari, in dictis constitutionibus inflictam.

SUSPECTA DE HERESI PROPOSITIO.

Vide verb. *PROPOSITIONES DAMNATÆ*, n. 24.

SUSPENSIO.

ARTICULUS I.

Quoad ejus esse et divisionem.

1. Suspendio quid sit. — 2. Suspendio dividitur in suspensionem ab officio, in suspensionem a beneficio et in suspensionem ab officio et beneficio

simul. — 3. Suspendio ab officio quæ sit. — 4. Suspendio a beneficio quæ sit. — 5. Suspendio ab officio et beneficio simul quæ sit. — 6. Suspendio ab officio et beneficio dividitur in totalem et partialem. — 7. Quæ sit dicta suspendio totalis. — 8. Quæ sit partialis ab officio, et partialis a beneficio.